

Dicta vel gesta hominum sepelit vetustas temporum, si non fuerint scriptis vel idoneis testibus roborata. Sciant igitur presentes et discant posteri, quod ego Witco de Perchyc villam nomine Cogetin, quam pater meus beate memorie anticus Witco possedit pacifice, et ego possedi, vendidi conventui Milevcensi cum omnibus adiacentibus, videlicet pratis, silvis, agris, rivis, certis premonstratis eiusdem ville terminis, et sub eadem pace, sub qua ego et predecessores mei possedimus, possidendam. Ad confirmandam igitur vendicionem meam, ne in posterum ab aliquo inmutari possit, meas litteras super hoc predicto conventui c[on]t[ra] sigilli munimine roboratas. Hec acta sunt publice in Wletic presentibus his testibus: Pribizlaus de Wezekouic, Witco de Clocot, Heinricus de Nouo castro, Budiwoy filius Zauise cum fratre Witcone, Nevlaz filius Radim, Budilaus de Cowarov, Zwatomirus de Nemchiz, Dalebor de Radmiric, Bohuzlaus de Z... on, Woco et Zacharias filii Witconis, Vitus plebanus de Predol, Siboto, Johannes filius Dobronii, Hwal prefectus. Anno incarnationis dominice M^oC^oCX^oX.

Dies ire, dies illa
solvat seculum in favilla,
teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus,
quando iudex est venturus
cuncta stricte discussurus!

Tuba mirum spargens sonum
per sepulchra regionum,
coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura,
cum resurget creatura
iudicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
in quo totum continetur
unde mundus iudicetur.

Iudex ergo cum sedebit,
quicquid latet apparebit:
nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus,
cum vix iustus sit securus?

Rex tremende maiestatis,
qui salvandos salvas gratis,
salva me, fons pietatis.

Recordare, Iesu pie,
quod sum causa tue vie:
ne me perdas illa die.

Querens me sedisti lassus:
redemisti crucem passus:
tantus labor non sit cassus.

Iuste iudex ultionis,
donum fac remissionis,
ante diem rationis

Ingemisco, tamquam reus,
culpa rubet vultus meus,
supplicanti parce Deus.

Qui Mariam absolvisti
et latronem exaudisti,
michi quoque spem dedisti.

Preces mee non sunt dignae,
sed tu, bonus, fac benigne,
ne perenni cremer igne.

Inter oves locum presta
et ab haedis me sequestra,
statuens in parte dextra.

Confutatis maledictis,
flammis acribus addictis
voca me cum benedictis.

Oro supplex et acclinis,
cor contritum quasi cinis:
gere curam mei finis.

Lacrimosa dies illa,
qua resurget ex favilla
iudicandus homo reus:
Huic ergo parce, Deus.

Pie Iesu Domine,
dona eis requiem. Amen.

Dilectissime frater, domine Galle, verbi Dei predicator!

Noli resistere sacramento calicis Domini, quod Cristus per se¹
et per suum Apostolum²

instituit, quia nulla Scriptura est in oppositum, sed solum consuetudo, que, estimo, ex negligencia inolevit. Modo non debemus sequi consuetudinem, sed Cristi exemplum et veritatem. Iam concilium, allegans consuetudinem, dampnavit comunionem calicis quoad laicos ut errorem, et qui practisaverit, nisi resipiscat, tamquam hereticus puniatur. Ecce malicia Cristi institutionem iam ut errorem dampnat.

Rogo propter Deum, quod non amplius impugnes magistrum Iacobellum, ne fiat scissio inter fideles, de qua gaudet dyabolus. Eciam, karissime, prepara te ad passionem in manducacione et comunione calicis, et sta fortiter in veritate Cristi, timore illicito postposito, confortans fratres alios in ewangelio Domini Iesu Cristi. Motiva pro comunione calicis, estimo, dabunt tibi, que scripsi in Constancia.³

Salutabis Cristi fideles. Scriptum in vigilia

Decem milia militum in vinculis.⁴

¹ Cf. Matth 26,26-28; Marc 14,22-24; Luc 22,17-20; Ioh 6,54

² Cf. 1 Cor. 11,23-26

³ De sanguine Cristi sub specie vini a laicis sumendo, Op. I, 42r-44r

⁴ 21. VI. [1415]

1 Factum est autem, in diébus illis éxiit edíctum a Césare Augústo, ut describerétur univérsus orbis. 2 Haec descriptio prima facta est præsíde Sýriae Quírino. 3 Et ibant omnes, ut profiteréntur, sínguli in suam civitátem. 4 Ascéndit autem et Ióseph a Galiláa de civitáte Názareth in Iudæam in civitátem David, quae vocátur Bétlehem, eo quod esset de domo et família David, 5 ut profiterétur cum María desponsáta sibi, uxóre praegnánte. 6 Factum est autem, cum essent ibi, impléti sunt dies, ut páreret, 7 et péperit filium suum primogénitum; et pannis eum invólvit et reclinávit eum in praesépio, quia non erat eis locus in deversório. 8 Et pastóres erant in regióne eádem vigilántes et custodiéntes vigílias noctis supra gregem suum. 9 Et ángelus Dómini stetit iúxta illos, et cláritas Dómini circumfúlsit illos, et timuérunt timóre magno. 10 Et dixit illis ángelus: “Nólite timére; ecce enim evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo, 11 quia natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David. 12 Et hoc vobis signum: inveniétis infántem pannis involútum et pósito in praesépio.” 13 Et súbito facta est cum ángelo multitúdo milítiae caeléstis laudántium Deum et dicéntium: 14 “Glória in altíssimis Deo, et super terram pax in homínibus bonae voluntátis.” 15 Et factum est, ut discessérunt ab eis ángeli in caelum, pastóres loquebántur ad ínvicem: “Transeámus usque Bétlehem et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis.” 16 Et venérunt festinántes et invenérunt Mariám et Ióseph et infántem pósito in praesépio. 17 Vidéntes autem notum fecérunt verbum, quod dictum erat illis de púero hoc. 18 Et omnes, qui audiérunt, miráti sunt de his, quae dicta erant a pastóribus ad ipsos. 19 María autem conservábat ómnia verba haec cónferens in corde suo. 20 Et revérsi sunt pastóres glorificántes et laudántes Deum in ómnibus, quae audíerant et víderant, sicut dictum est ad illos.